193. Johannis Miltoni Paradisi Amissi Liber Primus ex Anglicana Lingua in Latinam Conversus. ⊕ Cantabrigiae, Ex Officina Jo. Hayes, Celeberrimae Academiae Typographi; Impensis Sam. Simpson, Bibliopol. Cantab. 1691. 4°.

A—D 4. 8*s*.

Dedication to Hon. John Montagu, Master of Trinity, signed T.P.

The Translator was Thomas Power, Westminster Scholar, Trinity, 1678, B.A. 1681, Fellow 1684, M.A. 1685, Lecturer in Mathematics 1691. In the Library of Trinity College, Cambridge, there is a MS. Latin translation of books I. to VII.; and in the same Library there is a printed copy of the *Paradise Lost* (c. 1. 64) with MS. interlinear Latin translation of the last five books. The handwriting is the same in both volumes.



Apr. 27. 1691.

Imprimatur.

Joh. Covel, Procan. Deput.

Jo. Beaumont.

Jo. Spencer.

Humf. Gower.



n.22. Cam.d.691.2


Johannis Miltoni
PARADISI AMISSI
Liber Primus
EX
ANGLICANA LINGUA
IN
LATINAM CONVERSUS.



UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Jo. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi; Impensis *Sam. Simpson*, Bibliopol. *Cantab.* 1691.

13-222



NOBILISSIMO
ET
DOCTISSIMO
Viro D[no] D[ri]
MOUNTAGU
Collegii Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis apud *CANTABRIGIENSES* Magistro.

Nobilissime Domine,



ERITORUM in me Tuorum ut jucunda perceptio, & grata semper fuit recordatio; ita perdifficilis erit illa agnitio, quæ cum re congruens & affectibus nostris, posita sit in honore verborum. Næ cupienti quidem, & summoperè contendenti liquidò demum constat; quo pronior est voluntatis vis, & vehementius studium; eo minus à facundiâ me id posse consequi. Quæ est Tua igitur singularis humanitas, perturbato & fluctuanti animo mancam hanc significationem concedes; nec inertiæ tribues, quæ difficultatis est, excusationem. Hanc sines me Tui spem auferre, qui nullius unquam

justam fefellisti. Nihil enim prius habes, quam ut plurimis, & velis, idem ac possis prodesse: nec beneficiis solum obstrictos tenes; sed honestis benefaciendi modis plenius etiam demereris. Accedet ad hanc meam vocem cumulata omnium, quibus aliqua tecum necessitudo intercedit, consensio; quorum frequens est cum voluptate sermo, quot & quam magnæ commoditates in nos redundarunt, ex quo præsidere nobis primùm cœpisti; & utriusque, tum naturæ, tum fortunæ dotibus instructus, natalium splendori literarum decus junxisti. O! præclaram nostram & invidendam sortem, qui authoritate, hortatu, exemplo Tuo in communium studiorum cursu accendimur; cui cum nec industria severioribus studiis frangitur; nec otium politioris inter doctrinæ oblectamenta inutiliter fallitur: insigni nobis utrobique documento es, horas tum in eruditâ voluptate vacuas, tum in opere serias cum fructu collocandi. Meas quidem fæliciter transactas arbitror, si in hoc opusculo tibi humillimè oblato, quod placeat, quicquam fecerim. Cæterùm in hoc securus, in vultu, in ore Tui unius acquiesco: & hanc mihi spem illud ratam facit, quod etsi facultate sis acerrimus judex; voluntate tamen es candidus æstimator.

Sum

Tui in æternum

Observantissimus

T. P.

Benevolo Lectori.




UI è libris Miltoni popularis nostri duodecim primus est, illum tibi exhibeo, erudite Lector, Latinè factum: ut jure civitatis, quantum per facultates meas licuit, à me donatus, Romanus etiam tuo judicio comprobetur. Ut sua enim dictioni constet puritas, quæ ex usu in hanc rem forent, ea ferè omnia è Virgilii & Lucretii sacrariis deprompsi. Converti autem non ut interpres, verbum pro verbo reddendo; quanquam, ubi id commodè fieri poterat, servato Poetico Spiritu feci: sed ad sensum authoris attentior, ita sententiis ipsius earumque formis inhæsi, attemperatis ad Latinam consuetudinem verbis; ut si cum illo conferar, mea fides spectetur; sin legar solus, ex illius ingenio Poeta sim. In enumeratione idolorum, locorumque in quibus colebantur, occurrunt quædam nomina, quæ sonant duriusculè; quorum asperitati utcunque temperavi: ideóque in locum Beelzebub suffeci Belum, à communi denominatione בעל, *quod Græci, adjecto* ος, Βῆλος; *Latini Belus vertunt; omisso speciali attributo* זבוב: *non aliâ licentiâ ac Poetæ veteres in operibus suis usi Cæsarem pro Julio, Augusto, Nerone, indiscriminatim posuerunt. Hæc sunt quæ paucis Te monita velim, amice*

amice Lector, & spero propemodum fore, ut sequentia citra fastidium languentis animi etiam cum voluptate aliquâ legantur. Cæterùm apud Anglos de Authore verba facere supervacaneum est: Si hæc autem inter exteros forsan evagentur, non abs re erit apponere elogium, quo à Drydeno honestatus est: quod hexasticho conclusum ita ferè ad verbum è linguâ vernaculâ transtuli.

Tres magnos vario florentes tempore vates
Græcia cum Latio, & terra Britanna tulit.
Grandia Mæoniden; distinguit lenta Maronem
Majestas; noster laude ab utrâque nitet.
Tendere non ultra valuit natura; priores,
Tertius ut fieret, junxerat ergo duos.

PA-



PARADISI AMISSI.

LIB, 1mus.

ILLICITOS vetitâ decerptos arbore fœtus,
Et patris antiqui noxam, quâ concidit omnis
Progenies, devota alieno crimine morti;
Et sedem amissam; donec dator ille salutis
Morte suâ redimens animas, fœlicibus hortis
Addicat puras, & avitâ sede reponat;
Dic Dea, progenies cœli, quæ diceris alto
Aut Sinæ super, aut Horebi vertice, Mosi
Explicuisse suâ nascentem ab origine mundum.
Sin puri Siloæ fontes, & sancta Sionis
Te juga delectent; illinc te in vota vocanti
Da celerès auras, facilémque per ardua cursum,
Dum sacra expedio Aoniis incognita Musis.
Tuque adeò, liquidos longè trans ætheris orbes
Qui solio ex alto lustras mortalia corda;
Da sacros penitus rimanti accedere fontes:
Tu pennis tendens vastum per inane, columbæ
In speciem, elicuisti olim genitalia mundo

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

Semina, nascenti incumbens vitalibus alis.
Quod cæcum invalidúmque mihi est, tu lumine puro
Perfundas bonus, & maturo robore firmes:
Ut vires opus exæquent, operisque labores,
Ut genus humanum, nostro de carmine, curam
Se superum; & cœli leges ac fœdera discat.
Quin primùm evolvas (tibi se quippe omnia latè
Per superos cœli tractus, Erebique profundos,
In lucem manifesta ferunt & operta recludunt;)
Quæ causa immemorésque sui, prolisque futuræ,
Olim donatos mundi ditione parentes
Impulit à domino fœdè desciscere? tantum,
Cui tantum licuit miseris suadere malorum?
Serpentis dolus ille fuit; fraus illius omnis;
Qui sceleri obtendens speciosum nomen honesti,
Fœmineos victor sensus, animumque labantem
Impulit; invidiâ flagrans, & percitus irâ,
Ex quo lecta manus cœlo turbavit ab alto
Dextrâ affectantem supremâ in sede locari.
Hunc Superûm rector, celsâ statione ruentem
Fulmine corripiens, atri vi turbinis egit
In vinc'la, & fauces flammis undantis Averni,
Ausum animis armisque Deum se tollere contra.
Transierant novies spatiis æqualibus horæ
Quæ lucem noctémque ferunt mortalibus, ex quo
Vortice contortum piceo, flammisque volutum
Cœlestis vigor, & virtus defecerat: olli
Sed redit in pœnam nova vis, agitantque furentem
Supplicia, æthereique animo obversantur honores,
Quos demens ultro amisit: tum lumine torvo,
Testatos immane odium, mentemque superbam,
Liventes oculorum orbes circum undique torquens,

Quan-

Quantum animæ possint acie contendere, lustrat
Æterno loca senta situ; flammantia claustra
Carceris horrendi: non illic lumine puro
Fundunt se flammæ undantes, sed luce malignâ
Haud nocti absimiles produnt, oculisque tuentûm
Informes sistunt umbras, & tristia regna:
Quò nunquam alma venit pax hospita; tempore nullo
Infert se requies; aut spes, commune malorum
Perfugium miseris; pœna urget semper, & instans
Exercet sontes animas; adeò ubere tollunt
Se fluctu, flagrantque novato sulfure rivi.
Qui locus, imperio Patris omnipotentis & irâ,
Ter patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Extremum quantus cœli suspectus ad axem.
O quàm dissimilis cœli regionibus altis!
Turbidus hic pænæ socios, super ipse volutus,
Conspicit attonitis animis; laterisque propinquum,
Quo solus prior in superos arma impia sumpsit;
Cuique olim sacros, Beli sub nomine, cultus
Instituit Judæa; huic cœli maximus hostis,
(Cui Satanæ hinc nomen Superi fecêre vocantes)
Audaci sermone horrenda silentia rupit.
Tune ille! heu! qualis facies, quantusque recessit
Frontis honos, Dive ô quondam pulcherrime Divûm?
Tune ille es, quem pacta meis junxere volentem
Fœdera consiliis, & spes socia addita cæptis?
Cui laudum communis amor, commune peric'lum
Audentes in bella manus armavit? at ingens
Nunc traxit pariter mecum, involvitque ruina?
Unde vides ferimur, quo pulsi; tanta cadentes
Vis urget; nec erat priùs ulli cernere, quantæ
Fulminibus vires, quàm noxius arserit ignis,

Quàm ſentire datum eſt: at nec per talia victor,
Ingeminet licèt, aut alia in majora reſervet,
Excutiet mihi me ſubigens, frangetve premendo.
Quanquam adeò veteris defluxit gratia formæ,
Quæ fuerat, mens reſtat adhuc: & conſcia virtus,
Præmia quæ indignans meritis non æqua rependi,
Ingentem factis latè in certamine tanto
Extulit: an bello fuſi, cœloque repulſi
Omnia perdidimus? ſupereſt invicta voluntas,
Immortale odium, & vindictæ ſæva cupido.
Sunt animi indociles flecti; ſunt aſpera rebus
Ingenia adverſis, & quicquid vincere non eſt,
Illud ab hoc animo, indignè tam dira ferenti
Supplicia, haud unquam metus exprimet, aut rapiet vis,
Ut prece ſuppliciter venerans, mandata tyranni
Accipiam genibus minor; hæc cui dextera ſedem
Imperii, & dubio tremefecit ſydera cœlo.
Nulla dies unquam, me nulla prioribus auſis
Diſſimilem arguerit: fas purum criminis hujus
Hàc tantùm cecidiſſe tenus. Si membra Deorum
Vivida vis agitet nullis obnoxia fatis;
Si bello experti quantum potuiſſet in armis
Victor, & eventu nondum, nec caſibus ullis
Exhauſti; redeant recidiva in prælia vires:
Conſiliis rurſus turbemus cuncta; nec unquam
Securo noſtrì detur regnare Tyranno.
Talia jactanti, talem ſe voce ferenti, (bant
Quanquam animum ardentes curæque dolórque coque-
Belus reſpondit properè, ſic ore loquutus.
O Princeps, cujus ſpectata potentia cœlo
Inter bellantes animas, atque agmina Divûm
Sub ductu metuenda tuo, quando ipſe Tonanti
Obvius,

Obvius, auderes concurrere cominus armis;
Et tentare manu, imperium firmaverit illi
Seu casus, seu vis, seu rerum immobilis ordo:
Heu! nimium eventu mentem concussus iniquo,
Mutatam agnosco sortem; quæ victor ademit,
Quæ dedit, & quantis impendit fata ruinis.
Funditus usque adeò occidimus; patimurque quod us-
Exitii, quantum recipit natura Deorum. (quam est
Nam sua vis Divis redit intermissa, nec omnis,
Formæ utcunque decus periit, vigor interit illis.
Si tamen Omnipotens (tali illum nomine dignor
Non alius nobis se adversum impunè tulisset)
Si robur ferus afflictis, viresque reliquit;
Ut bello imperitet victis, jubeatque per ignes
Impelli, umbrosove capessere jussa profundo;
Quid prodest durare animis, dum æterna trahenda
Sæcula per pœnas, semperque renascimur iræ
Ultrici? increpitans Dæmon cui talibus infit.
Perdite, quam miserum est animis subsidere cuiquam
Vel mala perpesso vel agenti: quin tibi fixum
Id sedeat, semper recti pervertere fines,
Et bona, quæ cœlo veniunt, contendere contra.
Ultimus hic nobis labor est, hic terminus hæret.
In melius si nostra igitur Deus orsa reflectat,
Et mala designata bonos conformet in usus;
Nos bona diversis, nos æquaque vertere iniquis
Obnixi, sic nonnunquam turbemus, ut ille
Proposito cadat elusus, doleatque cadendo.
Ecce autem belli aligeros iræque ministros
Æthereum cœli victor revocavit ad axem:
Jamque adeò nimbosa & fumida sulfure grando
Descœvît; & vecta tonitrua fulminis alis

Cessârunt

Cessârunt toto lassata boare profundo.
Tempora captemus, sive hæc fastidia demùm
Victoris, satiata malis sive ira reliquit.
Illa (vides) spatio longè porrecta patenti
Planities informe rigens, & luminis expers,
Præter quod radiis spargit liventibus ignis
Horrendum pallens: tendamus protinus illàc;
Fors ibi solamen nostro requiésque dolori.
Illic concilio in magno mihi rursus agetur
Quî vires fractæ refici, vexarier hostis,
Et poterit vinci sors dura; videbimus illic
Quid spes ulla ferat, si spes tamen ulla superfit,
Aut ipsum sperare nihil corda aspera firmet.
  Hæc Satanas oculos intentans acre micantes,
Et caput immane attollens; pars cætera magno
Prona lacu fluitat, spatiosaque jugera tractu
Metitur, quali Briareus, aut ipse Typhœus
Porrigitur, totoque jacens extenditur antro:
Aut quali, ut nautæ perhibent, mirabile monstrum
Orca jacet prætenta mari, quam lumina somno
Claudentem dux quassatæ per cærula cymbæ
Littora tuta putans obscurâ noctis in umbrâ
Accedit, vastumque latus subit anchora morsu
Per squamas infixa, polum dum cæca nigrantem
Nox operit, lucisque optatos detinet ortus:
Tali ingens specie Satanas ingentia fusus
Membra lacu incubuit, nec vinclis libera rursus
Gurgite sustulerit, ni cæpta inferna moventi,
Atque ultrà tendenti odiis Deus ipse dedisset:
Ut generi humano veniæ concessa facultas,
Et cœli speratus honos graviora tuenti
Elicerent tormenta, videret ut omnia ferri

In melius præcepta sibi, tentatáque frustra ;
Multiplicem & lueret, repetito crimine, pœnam.
Extemplò molem tollit de gurgite vasto
Arrectam ; flammæ undantes hinc inde recedunt,
Et vallem in medio horrendam, spatiumque relinquunt.
Arduus ipse volans Erebi nigrantibus auris
Invehitur, donec librato pondere fertur
In terram ; si terra tamen dicenda fuisset,
Quæ solidis, æquè ac liquidis lacus ignibus arsit.
Atque ea forma soli est, ceu quando concita venti
Vis iter obstructum erumpens tellure sub imâ
Aut Siculo succussa revellit saxa Peloro,
Aut Ætnæ latus exesum ruit impete magno ;
Viscera, cui labefacta furenti turbine flammam
Corripiunt sonitu ingenti, massæque recoctæ
Spirat odor gravis, atque exundat vortice fumus.
Hæc sonti requies, hâc se vestigia prunâ.
Improba sustentant ; socius quæ ponè secutus ;
Elati simul ambo animis operum esse suorum
Se Stygio exivisse lacu. Tum singula Dæmon
Explorans oculis rursus, faciemque, situmque,
Hic locus, hæc (inquit) regio est : hâc nocte malignâ
Mutandum campos lucentes ætheris : esto :
Quandoquidem arbitrio sævi victoris eunt res,
Illius aspectu procul his juvat esse sub umbris,
Quem super æquales solio vis extulit alto.
Jamque adeò longum valeant fœlicia cœli
Templa ; dehinc Erebi vos ô salvete profundi
Horrores, salvete meo loca subdita regno ;
Cedite in imperium venienti ;
Quid refert ubi sim, si mens infracta periclis,
Nec mutata loco, talem me fingere porro

Persistat,

Persistat, qualis merui sub luce videri?
At quanquam fusis duro certamine parta est
Libertas; non omnipotens hîc mœnia struxit,
Quæ demum invideat, quæ sævis vindicet armis:
Hîc regni mihi certa fides, sceptroque potiri
Securo dabitur; solium nigrantis Averni
Prætulerim cœlis, ubi durâ lege Tyrannus
Servili obsequio poscat sua dona rependi.
Quid tamen immemores sociorum gurgite in atro
Linquimus attonitos? nec eos ad littus iniquum
Voce vocamus adhuc? seu sedem hîc figere regnis,
Sortirique domos Erebi squalentiaque arva;
Sive acie instructâ superas assurgere in auras,
Atque armis tentare iterùm qui rector Olympi
Victores ferat, aut nova nos sub Tartara mittat.
  Hæc Satanas: contra Belus cui talia fatur.
O qui fulgentes duxisti in prælia turmas
Ætheris, invictas acies, nî sistat in armis
Se contra omnipotens; vocem si forte loquentis
Sæpius auditam duro in Discrimine belli,
Spem rerum auxiliique olim venerabile signum,
Si vocem accipiant, non jam reor abfore, quin mox
Attonitis redeat solita in præcordia virtus:
Quanquam adeo vis perculerit, miserabile visu,
Ex tam præcipiti lapsas, penitusque jacentes.
  Vix ea finierat, quum nigri rector Averni
Ad littus tendebat iter; cui vastus eunti
A tergo clypeus, solidoque adamante coruscans
Pendebat, Lunæ similis, quæ nocte serenâ
Aut Fesole super, aut riguis in vallibus Arni
Artificis transmissa tubo, montésque, lacúsque,
Et liquidos amnes maculosi detegit orbis.

Dein

Dein hastâ, cui virga foret quæ maxima frondet
Norvegiæ sylvis abies, quamque aëre in alto
Attolli malum sibi poscat regia puppis,
Hastâ per campum ardentem vestigia firmans
Alterna incedit; donec jam littore in ipso
Substitit: hìc socii fluitabant gurgite vasto
Attoniti, Angelicæ formæ, numeroque jacebant
Quot foliis Pater Autumnus marcentibus amnes
In valle umbrosâ sternit; vel littora rubri
Cùm ruit Oceani ventis nimbosus Orion,
Fluctibus alga natat summis, Pharaona superbum
Qui cumulo involvêre, virósque atque arma trahentes
Littus ad ulterius, confusâ strage, tulerunt.
Tam densæ apparent acies, projectáque vulgò
Turba lacu; horrendus quam magnâ voce ciebat
Ductor; eo clamante Erebi domus ima tremiscit:
Reges, bellantes animæ, quæ Marte caduco
Imperium cœli adversis tentâstis in armis;
Tantane vos tenuit longo torpore solutas
Tam secura quies? talem post prælia virtus
Delegit sibi fessa locum succumbere somno?
Aut tam demisso victorem & supplice cultu
Oratis veniam indecores? qui sævus ab alto
Insultat miseris, donec discrimine tanto
Attonitas agiles cœli de parte ministri
Turbine corripiant, & torti fulminis alis
Præcipitent; resides quin tandem abrumpite somnos,
Surgite, vel segnes volvat, sempérque cadentes
Hauriat immenso barathrum ferale profundo.
Erubuere omnes, atque ocyùs agmine facto
Miscentur tractu lato per inania: quales
Excubiæ, licet haud excussæ lumina somno

Stare in procinctu simulant, operique parant se,
Ex improviso nè quis cessantibus obsit.
Nec verò immemores sortis coiere volando
Innumeræ, ceu pestis edax & tetra locustæ
Amramidis magni accitu, spirantibus Euris
In Pharios delata sinus & regna Canopi;
Aeris in campo piceis exercitus alis
Exultât, late & cœlum ferrugine texit:
Sic animæ tenuere fugam, stridentia pennis
Agmina per liquidos ignes circumque, supraque,
Subter & horrendùm crepitantes; maximus ipse
Dat signum ductor sublatâ protinus hastâ
Quo properent; illæ pariter libramine justo
In sola præcipitant, & inundant æquore toto
Millia quot nunquam Boreas gelidique Triones
Cæruleo fudere sinu, quum barbara Rhenum
Nunc acies, nunc prædatrix transmitteret Istrum;
Fusaque diluvii ritu procurreret ultra
Herculeas Gades Libyæ ad torrentis arenas.
Continuò lecti proceres ex agmine toto
Accedunt, stipantque ducem, genus ætheris alti,
Et formæ faciésque Deûm, cœlestibus omnes
Sublati è foliis vitæque volumine; nec jam
Fama prior lapsis monumenta nec amplius extant.
Necdum inter gentes titulis clarescere cœptum,
Nominibúsque novis; donec volventibus annis
Aucta solo soboles; tum latè vecta per orbem
Ex Erebo numerosa manus (sic fata ferebant)
Humanas falsâ ludebat imagine mentes;
Præcipiensque adytis pecudum simulachra, nefandâ
Relligione, Dei sacros prævertit honores.
Inde sibi quæsitus honos, & nomina Divûm.

Musa

Musa mihi memora quo nomine quique notati,
Queis primò revocati animi, queis deinde supremò
Excussus somni, Rege inclamante, veternus,
Et proprius fas ire duci; sine nomine vulgus
Et de plebe animæ sua dum vestigia sistunt,
Observántque procul. Titulis & honore Deorum
Conspicui, quales longo post tempore visi
In terris conferre Deo se, templaque templo
Illius, aræ aras; veriti nec vindicis iram,
Altâ sustinuere Sionis ab arce Tonantem;
Ausi etiam arcanos Domini penetrare recessus,
Inque adytis sua monstra locare, colenda profanis
Ritibus, & puræ tenebras offundere luci.
Primus ibi ante omnes horrendâ fronte Molochus
Processit campum in medium, cui victima cordi
Infantum de cæde cruor, lachrymæque parentum.
Illi aras Ammon Rabbæ intra mænia cultor
Instituit, populique fuit quibus ultimus Arnon.
Nec contentus eo, Solomonem inflexit ut ædem
In Domini templum sibi rectâ fronte probroso
Colle super strueret, lucúmque educeret altum,
Quà sese in vallem inclinat devexior Hinnon,
Inde loco nomen Tophet dictumque Gehennæ.
Proximus huic Chemos, cui vallis florea Sibmæ,
Arvaque Amorræo quondam regnata Seoni,
Moabi & soboles incesta ab origine sanguis
Orgia in obscœnum morem celebrare solebant;
Orgia quæ Nili profugis à littore cantum
Isacidis nocuere; alio ille colentibus idem
Nomine Peor erat, prope lucum arámque Molochi;
Donec Josias odii atque libidinis ultor
Expulit authores geminos, Ereboque remisit.

His socii sua contulerunt vestigia, quotquot
Ashtaroth & Baalim communi nomine dicti;
Clari olim & culti Euphratis de flumine magno
Per campos, quà summa secans confinia rivus
Ægyptum & Syriam mediis interluit undis;
Mascula pars, pars fœmineas induta figuras.
Namque animæ faciles (fas quippe volentibus ipsis)
Membra sibi alterutrum fingunt referentia sexum;
Iis textura adeò mollis simplexque, nec ullâ
Carne gravis fluitat, constricta nec ossibus hæret;
Quin formâ quacunque libet, seu lucida promit
Se species, sive obscurâ ferrugine condit,
Seu tenues densæve, novant sibi protinus artus
Aerios, odiisque habiles & amoribus aptant.
His gens Isacidûm numen mutavit, & aras
Viventis Domini, quotiesque operata profanis
Ritibus est, cessit toties hostilibus armis,
Et captum bello posuit caput.
His sese comitem cœli Regina ferebat
Astarte, tollens sinuosæ cornua frontis:
Cujus ad effigiem per amica silentia lunæ
Sidoniæ solitæ alternis cantare puellæ.
Nec Solymis indicta; probrosi in vertice montis
Templum illi stabat, Regis molimine magni,
Quem pulchræ uxores Divûm simulachra colentes
Obscænos ritus, & barbara sacra docebant.
Ponè subit Thammuz, Syriæ cui more puellæ
Annua plangebant Libani frondentis in umbrâ
Vulnera, & æstivum tendebant carmine Solem,
Nativâ dum rupe fluens pollutus Adonis
In mare fluxit, agens rivum de cæde quotannis
Percussi Thammuz: Numeri & mos ille sacrorum

Funereus parili incendit Solymitidas igne;
Quarum nocturnos cætus atque Orgia templi
In foribus memorans vates per somnia vidit.
Hunc prope subsequitur Dagon, cultoribus olim
Ingens opprobrium; quum templi in limine primo
Trunca manus & trunca caput prostrata jaceret
Effigies; monstro species humana biformi
Pube tenus, pisci subter connectitur inguen:
Templum illi tamen Azotus, pariterque dicavit
Ascalon, & titulis aras & honoribus auxit.
Excipit hunc Rimmon, cui multo thure litatum,
Abbana quà liquido prælabitur amne Damascum:
Illi stultus Ahaz Syriæ populator opimæ
Obsequio arguitur caput inclinâsse pudendo,
Et posuisse aram viventis in æde Jehovæ,
Divûm jussa, prius quos vicerat ipse, sequutus.
Proxima comparent veteri quæ cognita famæ,
Numina, monstra Deûm portentaque; qualia demens
Ægyptus coluit; lachrymis quæsitus Osiris,
Et latrator Anubis, & Isidis ora juvencæ,
Brutorum omnigenis palantia numina formis.
Nec genus Abrami pestem effugisse nefandam
Fertur, ubi oblato vitulum formavit in auro;
Ductus & exemplo populus sub Rege rebelli
(Heu! cæcas mentes) geminavit crimen, & illum
Finxit in effigiem tondentis prata juvenci,
Qui scelus ulsciscens Pharaonis, nocte sub unâ
Perculerat sobolem, quæ ventrem prima reclusit,
Balantesque Deos.
Ultimus incessit Belial, quo pronior alter
Non erat in vitium, tantâve libidine peccat.
Nulla illi Pario de marmore templa, nec aræ;

At quibus ille unquam à templis, quibus abfuit aris?
Ille etiam penetrans aulas & limina Regum,
Regifico accumbit luxu, magnasque per urbes
Victor ovans vehitur; furit ingens clamor ad auras
Bacchantum supra turres & tecta domorum.
Præcipuè cum nox terris induxerit umbras,
Tum, Belial, tua progenies per strata viarum
Huc illuc fusi volitant, totamque pererrant
In Venerem accensi furiis petulantibus urbem.
Vos testes vici Sodomæ, & tu conscia facti
Nox Gibeæ, quum jussa foras, expostaque vulgò
Majoris noxæ facinus matrona redemit.
  Hos sua conspicuos primo facit ordine virtus,
Qui reliqui durus labor est percurrere, quanquam
Insignes latè subeunt Titania pubes,
Confessi genitos cœlo terrâque parentes;
Saturnusque senex, qui pulso fratre, receptum
Jus regni nato victus transmisit habendum.
Jupiter hinc solio summi consedit Olympi,
Aera per medium dominator, & incola sylvæ
Dodones, & utramque Idam ditione tenebat,
Unà aderat Clariis qui sortibus inclytus Author,
Et qui Græcorum conclusi finibus, & qui
Saturni exilio comites trans æquora vecti
Hesperii extremas legerunt littoris oras.
Hi pluresque alii properantes agmine longo
Se lateri Satanæ agglomerant, sed lumina prono
Obtutu tenuere solo defixa, nec omnis
Spes cecidit tamen, & visi fiducia Regis.
Ille licet fixum premit imo corde dolorem,
Continuo veteres fastus mentemque resumit.
Ille suis animos in tanto turbine rerum
Exacuit

Exacuit dictis, trepidósque hortatibus implet;
Edicitque simul clangentes voce canorâ
Signa tubæ dederint, regale sub aera tollat
Vexillum, magnum magnâ quod mole gerebat
Signifer Azazel: dedit ille volare sub umbras
Seraphicis latè spectandum insigne trophæis,
Vibratúmque manu validâ ceu stella refulsit,
Quæ liquido crinem ducens ardescit in auro;
Martia dum resides animos in bella lacessunt
Accendúntque tubæ.
Tum verò immensus per concava diditus Orci
Undique consurgit clamor, turbataque longè
Et Chaos antiquum, veterisque silentia noctis.
Nec longum tempus decies quin millia furvas
Signa procul fulgent radiis adversa per auras,
Unà ingens sylvæ species surgentibus hastis
Tollitur, & clypei ardentes galeæque comantes
Confertim vasto se produnt obvia tractu.
Mox instructa phalanx, incessu lenta canentum
Ad numeros molles vestigia fingit eundo,
Tibia mulcifori ceu quando Dorica buxo
Heroas quondam veteres in bella ciebat;
Non furor illud erat, rabies nec concita cantu,
Sed sibi constantes animi, sedatáque virtus,
Contemptrix lethi, & nullis frangenda periclis;
Visa potens etiam solenni tollere tactu
Et curas, dubiosque metus, tristésque dolores,
Atque ægros lenire animos hominúmque Deorúmque.
Hi sua per loca sic fumantia sulphure dulces
Suspensi ad modulos vestigia lenta ferebant;
Et propè paulatim accedunt, jamque agmine primo
Horrida frons, clypeis insignis, & ære corusco,

Sistitur ipsa sub ora ducis, quæque imperet ultrà
Expectat.
Ille modo obliquo perstringit singula visu,
Nunc vultus legit adversos, nunc lumine molem
Metitur, formásque notat, numerúmque recenset:
Et jam tenta novo turgent præcordia fastu,
Atque iterum tantis se gloria viribus effert.
Nunquam etenim à primâ nascentis origine mundi,
His hominum si contuleris mortalia secla,
Tam validæ coiere acies, tam strenua bello
Corpora, quæ potiore usu vel honore fuissent,
Quam qui trans Indum exiguis bellator in armis
Militiam infensus volucrum Martémque lacessit.
Non si terrigenam discludat noxia prolem
Phlægra, vel accedant Trojæ sub mænibus altis
Utrinque heroes Diis auxiliantibus aucti:
Addideris super his Arthurum in bella ruentem,
Inter Aremoricos equites, equitésque Britannos;
Et crucis & Lunæ adversis cernentia signis,
Qualia mendaces finxerunt agmina Mystæ;
Et Lybiam Europæ immissam, bellóque frementem,
Quum Caroli magni proceres Maurusia, & ipsum
Gens Carolum victrix ingenti clade cecidit.
Tam longè hæc hominum superabant agmina vires
Qui fuerint & erunt; utcunque fidelibus ultro
Obsequiis devota duci: stetit ille tremendâ
Fronte minax, sociósque omnes, ceu turris ad auras
Arduus exuperât capite & cervicibus altis.
Nec dùm syderei penitus defluxerat oris
Gratia, nativúmque decus, vestigia formæ
Pauca manent veteris languentia; debile Titan
Nubibus infractus ceu lumen ab æthere fundit;
Lunarive

Lunarive globo obversus vix luce laborat
Exiguâ, & reges, & regum territat urbes.
Sic sua præ reliquis fulgebat gloria magno
Offuscata Duci, at faciem sulcaverat altè
Fulmen ab adverso, marcentibus atráque sedit
Cura genis; non ille animos tamen ille priores
Exuit, aut cecidit sua nota superbia victo.
Quin oculi crudele adeò torvúmque tuentes
Multum etiam miserantis habent, multúmque dolentis.
Tot socios cæptorum operum, tot millia Divûm
Squalentum tenebris, & cœli luce carentum
Ipsius ob noxam tantas persolvere pænas;
At sibi adhuc fidos animis & pectore firmos.
Quales in sylvis quercus, vel montibus altis
Aeriæ pinus, si cœli tangeret ignis,
Marcent exutæ frondes, sylvæque comantis
Luxuriem, at steriles duro stant robore trunci,
Et cœlo capita alta ferunt. Jam farier orso
Hinc atque hinc à dextrâ acies læváque refusæ,
Intentantque oculos, arrectisque auribus astant
Ter conatus erat, toties, fastidia quanquam
Obstiterint, lachrymæ, quales fas fundere Divis,
Nolenti expressæ; magno tamen ultima nisu
Cum gemitu indignans graviter sic ora resolvit.
O Animæ, ô vitæ Divûm! certamine belli
Invictæ, ni se Omnipotens contra inferat armis:
Nec tamen indecores pugnâ certavimus istâ,
Infælix quanquam tulit exitus atria cœli,
Mutavitque locum profugis: heu dira Deorum
Exilia? at quæ vis animi præsaga futuri,
Si retro observata legens ex ordine versat,
Stantibus his belli casum timuisset acerbum?

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Et quis adhuc dubitet post damna exhausta, valere
Tot bellorum animas revehi nitentibus alis
Sponte suâ, & patrio rursùm succedere cœlo?
Vos mecum, genus æthereum, vos, ultima passi,
Unamines testor socios, num tempore in ullo,
Consiliove manuve bonis communibus author
Defuerim; sed qui superûm se jactat in aulâ
Supremum, securus erat, seu fama vetusti
Nominis id dederit, populi seu fœdere pacto
Consensisset amor; tum latè regia fusa est
Pompa, sed occultæ vires, nec nota potestas:
Illud erat quod nos infausta in prælia adegit.
Hinc frustra experti poterat quæ vivida virtus,
Non adeò expediet rem puro credere Marti,
Et solâ sævire manu; solertia sortem
Mutet, & edoceat lætum sperare recursum,
Ingenio tradente modos artemque nocendi.
Quod sciat ille meus, qui me sibi sentiet hostem
Nec fractum, nec dimidiâ jam parte minorem.
Forsitan & plures se dudum evolvere mundi
Immenso è spatio incipiant (si vera tulisset
Quæ modò fama tulit superum vulgata per axem)
Quò nova progenies, titulis dignata superbis
In nostri invidiam, cœlestibus æmula natis
Floreret: quàm primùm illàc irrumpere certum est
Quà datur; haud etenim longùm tot ab æthere formæ
Claudentur tenebris & opaco carcere noctis.
At formanda prius ventientûm exorsa laborum
Concilio in magno: spes omnis pacis adempta est;
Quippe quis inflexo veniam oret poplite? bellum
Insidiis tectis vel aperto Marte gerendum.
Dixit, & ut rata verba forent, fulgentia stringunt

Tela

Tela animæ clypeisque strepunt; idem omnibus ardor
Se cupidè ulcisci, bella, impia bella minantur
In cœlum, fremitúque Erebi spatia ampla tremiscunt
  Collis erat juxtà, cui vertice plurimus ignis
Undabat fumo medius; porrigine lævi
Obsita squalebant circum latera alta, latentis
Indice non dubio prodentia signa metalli.
Illàc se properè manus instrumenta laborum
Expediens tulerat; ceu quando operosa relictis
Turba fluit castris, durisque ligonibus instat,
Seu vallo munire viam, seu ducere fossam.
Dux operis Mammon, quo non abjectior alter
Sordidiorve animi cœlo turbatus ab alto est.
Namque ibi non illi obtulerat sua gaudia quondam
Visa Dei facies, sed fixus lumina prono
Obtutu hærebat, visóque stupebat in auro.
Quo monstrante viam defossæ in viscera terræ
Itum est humano generi, pretiosáque rixæ
Semina deprensis primùm emicuere latebris.
Et jam turba frequens penetrârat in intima collis,
Atque humeris subnixa ingens evexerat aurum.
Ne quis ab infernâ miretur origine nasci,
Nam natura parens causam pretiúmque malorum
Abdiderat penitus, Stygio & damnaverat Orco.
Hîc sua ne Babylon, sua ne miracula Memphis
Tot Regum mihi jactet opus; quæ maxima famæ
Impendunt monumenta viri, condentibus ipsis
Vix populi labor efficiat, vix secula longo
Educant tractu; sed & his majora malignæ
Dant effecta animæ spatio non amplius horæ.
Haud procul hinc campus quà se subducere colli
Incipit, in cellis ad talia ritè paratis,

Altera pars liquidum de gurgite, per loca subter
Concava, derivans venis ardentibus ignem,
Corpora splendentis massæ concreta resolvit;
Distinguitque suo species quæ cuique metallo.
Altera pars variis eadem liquefacta figuris
Quamlibet in faciem rerum decurrere cogit,
Inducitque; ingens mox edita fertur ad auras
(Ceu matutini, vix orto Sole, vapores;)
Fabrica, & ad strepitum citharæ, & discrimina vocum,
In templi speciem summa ad fastigia surgit.
Stant duplici versu supraque infraque columnæ
Complexæ medios, sinuosis flexibus, arcus;
Auro omnes solido innexæ; laqueata renident
Tecta auro: non hæc opulenta Ægyptus, & ingens
Assyria æquârint cultu, seu Regibus aulam
Utraque certando, seu Divis struxerit ædem.
Mox valvæ bifores operoso ex ære reclusæ
Transmittunt spatio longè latéque patenti
Læve pavimentum, manifestâ luce, videndum.
Nam disposti intus sua per discrimina lychni,
Asphalto saturi, atque aucti per pinguia Napthæ
Pabula, se extulerant vix cœli luce minores.
Unà omnes mirantur opus, mirantur & ipsum
Laudant artificem; nec cœlo nullius antè
Nominis ille fuit, quo structa palatia vasto
Suspectu excepêre sua intra lumina Reges
Cœlicolas, Pater omnipotens queis sceptra dedisset
Ferre manu, & superos regere ad sua jura volentes.
Ille idem & Graiis, Italis & cognitus oris
Mulciber, (hoc homines nomen fecere vocantes)
A Jove qui quondam, ut perhibent, correptus, & extra
Projectus validè chrystallina mænia cœli,

Per

Per spatium revolutus erat, quo flectitur orbem
Phœbus in occiduum æstivo progressus ab ortu;
Nec requiem prius invenit, quam parva cadentem
Lemnos in Ægeo, gremio fumante, recepit.
Sic memorant falsò veterum commenta virorum;
Nam longè prius exul erat, nec profuit olli
Tot manuum posuisse olim monumenta suarum;
Quum socios præceps inter turbámque rebellem
Corruit, ad Stygii flammas damnatus Averni;
Gnarus ubi solitas non secius excolit artes.
Interea aligeri Præcones jussa sequuti
Imperiúmque Ducis magni, clangore tubarum
Concilium solenne vocant de rebus habendum,
Quà Pandæmonium sese effert, ardua sedes
Regnantis Satanæ; studio de more vocati
Ductores Proceréśque ruunt, comitantibus ultrò
Quemque suis; & jam portæ, jam obsessa tenentur
Limina, conciliique aditus; undantibus aula
Præcipuè fremit, & resonat stridore volantum.
Ac veluti, cùm vere novo Sol commoda signans
Tempora, Sidonii ingreditur confinia Tauri,
Fundit apum populosa acies se roscida circum
Prata, vel in lævi tabulâ, pro mænibus urbis
Stramineæ, trepidæ rerum, cautæque futuri,
Prospectant animo venientis casibus anni:
Non alia est turbæ aeriæ volitantis imago:
Tot numero coëunt, tam denso examine fervent,
Impediuntque viam; donec, mirabile visu!
Quot priùs extentâ superabant mole Gigantes
Terrigenas, minui extemplò, jam jamque videri
Pygmæis similes, aut pumilionibus istis,
Quorum nocturnos lusus viridaria propter

Forte

Forte domum referens multâ se nocte colonus
Aut videt, aut vidisse putat, dum pallida sensim
Cynthia fertur equis labens, terræque propinquat:
Illi saltando pariter, pariterque canendo
Exæquant nocti lusus, pariterque tuenti
Exultat, mistâque tremit formidine pectus.
Haud secus immensas vitæ sine corpore formas
Arctantes tenuant, spatio & breviore feruntur
Aulaï in medio innumeræ: at domus intima longè
Tollentes sese, quam vasta est, mole recepit
Seraphicos proceres, solitos de rebus agendis
Consulere, & varios bellorum expendere casus.
Mille adeò Divûm species penetralibus aureis
Confertæ, breviter post facta silentia tectis,
Maturare parant pleno consulta Senatu.

FINIS.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

15
5
78